



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

De exercitu animæ triumphantis. Colloq. LXXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

illis Amazonibus nulla in parte conferendis. Ordines autem ducet Poenitentia portans insignia in velo lachrymis distincto, depictas unã cum Tau argenteo. Cassis seu galea insignium cærulea erit, onerata corona aurea, quæ duodecim lapidibus pretiosis collucebit; ita ut tres purpurei, tres flavi, tres miniati, tres denique cærulei ac miro artificio inter se permixti sint.

De anima exercitu triumphante.

COLLOQVIVM LXXXVIII.

PORRO cum deuota quæpiam **THEO.**
 anima oculos suos in hoc velum ita conijciet, fieri plane non poterit, quin confestim intelligat, quomodo configere, & victoriam debeat reportare. Clypeus autem huius insignij, (Hieroglyphi- *Insignia*
 cū mortis is est, propter coloris ni- *anima*
 gredinem quæ nocti & exequijs di- *devotæ*
 cata est) finis ei sui memoriam refricabit, quemadmodum etiam litera Tau, quæ primum mundi alphabetum, & illius linguæ, qua Deum primo vsum fuisse accepimus, terminat.

D d s natat

Memoria mortis utilis ad poenitentiam.

nat atque concludit. Lachrymas autem cum intuebitur, recordabitur extemplo gemituum & ploratum, qui bello illi nostro proprii sunt, quod in hac vita contra Sathanam gerimus; mirabilemque quandam cum morte ipsa conuenientiam habent & affinitatem. Ob hanc etiam credo causam tempore Quadragesimali, quo Ecclesia Catholica omnes spiritualis suae fortitudinis vires ac neruos intendit, & validissima infractaque acie contra tres suos capitales inimicos armatur, militibus suis iam iam conuicturis adeoque ipsa capita iam inclinantibus, frontem cineribus perspergens sic ait. *Memento homo quia puluis es & in puluerem reuerteris*; id est, Accingere fortiter & animose ad hoc praelium, & assidue mortis recordare. Haec enim duae illae alae sunt, quarum beneficio victor bello suscepto excedes. Litera vero Tau memoriam mortis & passionis IESU Christi, nerui poenitentiae nostrae pugnatrix illi renouabit. Hic character secundum veterem formam elemen-

torum Hebraicorum, quemadmo-
 dum sanctus Hieronymus animad- *Hier. im*
 uertit, in crucis figuram efformatus *cap. 9.*
 est. Hæc reuera postrema illa litera, *Ezech.*
 hæc clausula & perfectio Alpha-
 beti diuini est, per Alphabetum &
 elementa Hebræorum figurati. Al- *Alphab-*
 phabetum autem Dei opera illius *betum*
 sunt, ex quibus peculiarem quan- *Dei.*
 dam linguam composuit, quæ nul-
 lo non momento surda voce no-
 biscum loquitur; *Cæli*, ait Prophe- *Psalms.*
 ta Regius, *enarrant gloriam DEI.* *18. 2.*
 His literis ac elementis in hoc mun-
 do conditoris nostri magnitudi-
 nem, sapientiam, & bonitatem de-
 scriptam legimus; quemadmodum *Rom. 1.*
 Apostolus ad Romanos dicebat. *In-* *20.*
uisibilia enim ipsius à creatura mun-
di, per eaque facta sunt, intellecta,
conspiciuntur: Verum inter omnia
 illius opera, excellentissima est re- *Maxi-*
 paratio hominis, perfecta ac ab- *mū opus*
 soluta per extremam istam & illu- *Dei.*
 stem mortis literam, proprijs DEI
 manibus exaratam, sibi ipsi impres-
 sam, & pretiosissimo sanguine co-
 loratam; insigne testimonium po-

tentiæ, sapientiæ, & misericordiæ
 diuinæ. Hoc illud signum est, quo
 hostem nostrum superare oportet ac
 * *Aquila* debellare. * Hoc veteres Christiani
Roma- pro Romanis aquilis in signum sa-
na. lutis ac victoriæ nostræ, in omnibus
 suis vexillis circumtulerunt; post-
 quam Imperator Constantinus mi-
 raculosè in cælo Crucem conspexis-
 set, & vocem audiuiisset dicentem.
Ezech. *In hoc signo vinces.* Hoc Propheta
9.4. Ezechiel nobis significauit, quem
 Deus compellauit dicens: *Transi per*
medium ciuitatis, per medium Ierusa-
lain, & signa Tau super frontes viro-
rum gementium, & clamantium su-
per cunctis abominationibus, quæ fi-
unt in medio eius: Transite per ci-
uitatem & percutite, non parcat
oculus vester, nec misereamini. Ad
omnem autem virum super quem
fuerit Tau, ne accedatis. In hac vi-
 sione ipsum illud includitur, quod
 nos dicimus; oportere videlicet
 illos qui fructuosam poenitentiam
 facere cogitant, & illustrem vi-
 ctoriam reportare desiderant, con-
 tinuo ob oculos suos habere velum
 illud

illud supradictum, perspersam lachrymis mortis & passionis Filij Dei. Quotquot ergo id faciunt & nequaquam negligenter exequuntur, hi saluantur: & quotquot è contra nec plorat, nec litera Tau signari digni sunt, intereunt. Cassis cærulea insigniū, cū corona, & lapidib⁹ pretiosis significant præmium, quo victores in cælo afficiuntur, præmium inquam omnibus diuitijs, honoribus & pulchritudine cumulatum. Color namque Cæruleus cælum significat locum illum mercedis nostræ & recompensationis, corona & gemmæ, præmium; ipse autem gemmarū numerus duodenarius, ex duobus numeris perfectis compositus, præmij cōplementum designat. Cæterū materia illius, nobilitatē & excellentiam, ipse autem numerus vnā cum materia, totalem perfectionem futuri corporis, & animi post resurrectionem demonstrat. Hæc est deniq; *Aug. l. ix. de ci. c. 3.*
 vitæ illa corona, corona iustitiæ, *l. 15. c. 20.*
 rona gloriæ omnibus illis promissa, *l. 20. c. 5.*
 qui fortiter ac viriliter in conflictu *Iac. 1. 12.*
 isto sunt dimicaturi. *Beatus vir,* in-

quit Apostolus, qui *suffert tentationē*: quoniam *cum probatus erit*, id est, cum virtutis suæ specimen ediderit, & assistente diuina gratia victoriam reportarit, *accipiet coronam vitæ*. Considerando ita deuota aliqua anima vexillum istud Pœnitentiæ manibus portatum, recordabitur extemplò officij sui, & animum mentemq; spe pulcherrimæ huius coronæ breuē accipiendæ erigens, præstolabitur inimicum suum armis probè instructa, illumque cōtra præfractè se inferentem Domino auxiliante repellet, qui præsentia eam sua confortabit, & intrepido corde vallabit. Cumque ita viriliter in compluribus conflictibus se gesserit, & castrum toto illo tempore quod ei diuina lex præscripserit Heroicè propugnarit; eadem superni numinis, constitutione consequetur, vt insignem legitimamq; victoriam reportet, & inimicum hostemque suum egregiè & animosè debellet. Postquam ergo omnia salutis suæ negotia & m̃nia expediuerit, & aciem instruxerit, hoc fere mo-

rè modo, terræ valedicens, effabitur.

Valete nunc mea ossa, vos valete nunc,

*Ego relicta terra ad alteram terram mi-
gro.*

Terram salutis & quietis aures.

Sub ipsum autem discessum suum, in-
tuens Deum & Sanctos vniuersos, ad fi-
bi auxiliandum succurrendumque præ-
paratos, mirabili quadam lætitia per-
fundetur, cor ad cælum eriget, & diui-
nam Maiestatem in hæc verba compel-
labit.

Te nunc Creatorem meum, & Deum meum

Vicina specto, tu tua clementia

Me rursum intue, me lotam aspice

Tuiq; Filij redemptam sanguine.

Vide ut patenti gutture infernus tuam

Quem vorare gestiât, vide ut furat,

Vt me misellam faucibus capret suis.

Succurre Iesu, & arma cœlestis spes

Scutumq; charitatis & fidei para.

Vos Angeli, vos ô beati spiritus

Arcete carnificem procul meum, procul

Ferale propulsetis agmen Tartari.

Tuq; ô supreme & sempiternæ spiritus

Largire robur, adde vires debili,

Quo fortiter pugnando, splendidam meis

Ab hostibus feram victoriam, veni,

Beata mater Regis omnium ac Dei,

Meq; in periculoso agone roborâ.

Hos

*Hoc illud est certamen, hac lucta ultima
 Hic unicus conflictus est, quo fortiter
 Pugnando pacem sempiternam consequar.
 Sicque sub finem ex ergastulo suo euo-
 lans, concludet:*

*Valete vos ossa, & corpus meum vale:
 Non te morabor amplius, nunc emigro,
 Subvecta nunc oris tui flatu ultimo
 Ad igneas Tonantis euolo domos:
 Tu me Deus Deorum, & aequus arbiter
 Sinu tuae felicitatis excipe.*

Ecce tibi hoc loco conflictum, & insigne
 illorum victoriam, qui in hoc mundo
 viriliter praeliantur: e quorum numero
 quisquis esse desiderat, & cum istiusmo-
 di valedictione e rebus humanis emigra-
 re concupiscit; eum necesse est mature
 iter illud ingredi, quod I E S V S Christus
 nobis praesignavit, & paulo ante a nobis
 etiam expositum declaratumque fuit. Il-
 lud autem quisquis praese arripere non
 cogitat, huic reuera idem metuendum
 est, quod conflictus animae impoeniten-
 tis nobis representavit. Verum quam de-
 uota nostra isthaec anima Vale suum di-
 xerit, annon & mihi idem aliquando di-
 cere permittatur? quippe qui illud etiam
 tibi, siquid appromittam, eis paucos ad-
 modum dies conflictum contra mundum
 & car-

& carnem pulcherrimè me tibi esse depicturum, ac de vniuerso peregrinationis nostræ apparatu, si Deo placuerit, quam accuratissimè disferendum. PHIL. Næ verò conditio isthæc talis est, vt si ad eam non accessero, & pausam illam tuam comprobabo, meritò rusticus & agrestis videar deberi appellari? cùm præfertim pulcherrimas mihi istas duas tabellas, adeò enixè vehemèterque desideratas, non modò fideliter monstraris, sed innumeris iuxta figuris coloribusque illustraris. Illud ergo mearum potius partium erit, interea temporis dum commoda occasione ad lectionem hanc nostram repetendam insidiaris, sanas & continuas de morte, super qua adeò doctè tu differuisti, cogitationes susceptum ire. THE. Ego autem pro omnibus ijs quæ benè dicta & accuratè cogitata fuerunt, ei laudes & gratiarum actiones persoluo, qui ipsa omnis boni origo est, cui gloria & benedictio in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

ELEN.